Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1077
Quelle:
Copyright:

vero Homilia I. sic incipit: *Sicut in superioribus preceptis ita quoque circa ieiunii observationem ad perfecte fidei meritum nos dominus doctrine sue mandatis instruit* &c. Trium hic *Remigiorum* in mentem venire possit: Episcoporum *Rhemensis* et *Lugdunensis*, et *Autissiodorensis* Monachi. Duobus prioribus Homilias nemo dat. Tertius nec *Beatus*, nec *Episcopus* est, et alioquin Librariorum Titulis parva saepe fides. Commentaria illum in *omnes* Evangelistas scripsisse satis evincit *Historia liter. Franciae* T. VI. p. 109. quanquam in Bibliothecis delitescant. Facile igitur ex his Commentariis *Homiliae* nostrae depromi, doxologiaque ad finem instrui potuere. Firmat hanc conjecturam ipsum, quod supra posui, initium; nam ad quaedam praecedentia adpellat. Incertitudinis tamen, in qua versamur, aliqua ratio esse possit modestia *Remigii Autissiodor.* qui, ut referunt, nomen suum nulli suorum Operum adscribi voluit. Atque fortassis inde est, quod in *Homiliario Coloniae* 1530. f. edito, quod ab *Alcuino* digestum dicitur, ad Homilias, quae e nostro Codice ibi habentur, nullus autor adsignetur. Sed heus tu! quomodo *Alcuinus* a. 804. mortuus *Remigii*, qui primum sub finem Sec. IX. scripsit, Homilias Collectioni suae inserere potuit? Non habeo, quod respondeam, nisi Homilias *Remigianas* ex iis esse, quas editioni cit. *Eucb. Cervicornus* impressor noviter *adjectas nusquam antea impressas* ait. Quod si minus satis facit, rem in medio relinquam, ut jam *Vol.* I. P. 1. *col.* 303. circa *Commentarium in Evangelium Matthaei* feci, quem si quis cum praesentibus *Homiliis* contendere vellet, certiora fortassis extunderet. Illud solum non omittam, quasdam Homilias hic *Remigio* tributas in *Bedae Quadragesimali* impressas legi.

II. *fol.* 45. sequuntur *Homiliae S. Gregorii Papae ad Populum* in II. *Libros* tributae, sed non eo ordine, quo se in edit. *Maur. Paris.* 1705. T. I. *col.* 1434. excipiunt. Praeterea prima Columna improbe exsecta, et folia inter 89. et 94. evulsa sunt.

CCCCL.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 264 Folior. 206. f. per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et, ut *fol.* postremo notatur, datus *Universitati* per Executores Art. et Decret. Doctoris Magistri *Augustini de Elbing*, qui ei a. 1470. Rector praefuit, a. 1484. sequentia complectitur: I. *Homiliarium Quadragesimale* porrectum a *Feria IV. Cinerum* ad *Coenam Domini*, ita tamen, ut *Homilia* a fine *tertia* ad Dominicam *Oculi*, postremae duae vero ad Dom. *Reminiscere*, sive III. et II. *Quadragesimae* pertineant. Lectum est istud *Homiliarium* ex *Hieronymo*, *Maximo Taur. Leone M. Joh. Chrysostomo*, *Beda*, *Haymone Halberst. Augustino*, non tamen est *Alcuini*. Loca varia in marginibus subpleta sunt, et ad calcem